Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36534
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

ut non tam hominem significet . quam amicorum turbam. que cum rege ue-
nerat. in quibus fuit et phichol princeps exercitus illius. Ecce autem uene-
runt in ipso die serui ysaac. annuntiantes ei de puteo quem fode-
rant. atque dicentes. Inuenimus aquam. Unde appellauit eum abundan-
tiam. et nomen urbi impositum est. bersabee. usque in presentem diem. et reliqua.
HIER. Nescio quomodo in .lxx. interpretibus habeatur. et uenerunt pueri
ysaac. et nuntiauerunt ei de puteo quem foderunt. et dixerunt ei.
Non inuenimus aquam. Et uocauit nomen eius iuramentum. propterea
uocari iuramentum. quod aquam non inuenerunt. E contrario in ebreo cuius
interpretationi aquila quoque consentit. et symachus. hoc significat quod
inuenerunt aquam. et propterea appellatus sit puteus ipse saturitas.
et uocata ciuitas bersabee. hoc est puteus saturitatis. Licet enim supra
ex uerbo iuramenti. siue ex septenario ouium numero. quod sabee
dicitur. adseruerimus bersabee appellatum. tamen nunc ex eo quod aqua
inuenta est. ysaac ad nomen ciuitatis que ita uocabatur adludens
declinauit paululum litteram. et pro stridulo ebreorum sin . a quo sabee in-
cipitur. grecum simma. id est ebreum samech posuit. Alioquin et iuxta
allegoricem legem post tantos puteos in fine uirtutum. nequaquam
congruit. ut ysaac minime aquam inuenerit. SENUIT autem
ysaac. et caligauerunt oculi eius. et uidere non poterat. Uocauitque
esau filium suum maiorem. et dixit ei. Fili mi. Qui respondit. Adsum.
Cui pater. Uides inquit quod senuerim. et ignorem diem mortis mee.
Sume arma tua. pharetram. et arcum. et egredere foras. Cumque uenatu
aliquid adprehenderis. fac mihi inde pulmentum sicut uelle me nosti. et adfer
ut comedam. et benedicat tibi anima mea. antequam moriar. et cetera.
ISIDORUS. YPOLITI martyris uerba sicut ea excellentissime sci-
entie. ac doctrine hieronimus replicauit. in hoc loco ponenda
sunt. Ysaac inquit portat imaginem dei patris. rebecca spiritus sancti. esau
populi prioris et diaboli. iacob ecclesie. et christi. Senuisse ysaac consum-
mationem orbis ostendit. oculos illius caligasse. fidem perisse de mundo.
et religionis lumen ante eum neglectum esse significat. Quod filius maior uocatur.